

222

220

226

207

216

asinorum, et stabant asinarii nos exspectantes, et quam cito
peregrinus in planum venit, arripuit eum proximior asinarius,
et duxit eum ad asinos suos. Unde nonnunquam contingit,
quod duo vel tres trahunt unum peregrinum, unus ad illam
partem, alius ad aliam: quia, postquam rustici in villis proxi-
mis audiunt peregrinos ad esse, adducunt multos asinos, et
plures quam sint peregrini. Ideo quilibet conatur peregrinum
ad suos asinos ducere. Unus enim Sarracenus adducit VII
vel VIII asinos, qui sui sunt. Idcirco contingit, quod non
sunt nisi ducenti peregrini, et adducuntur quadringenti asini;
ideo asinarii simul contendunt pro peregrinis, et trahunt eos
hinc et inde: quia ille, ad quem nullus peregrinus veniret,
gratis cum suis asinis advenisset. Hanc rem in prima mea
peregrinatione non intellexi, et cum descendissem, accurrit
unus Maurus niger, et importune arripuit me, trahere me
volens ad asinorum gregem, juxta quem erat mirabilis tumultus.
Ego vero timens ne me spoliare vellet, fortius retraxi, et vi
magna me de manibus ejus excussi, et cum festinantia reas-
cendi in locum, ubi stabant praefecti cum luminibus, et Patri
Gardiano rem gestam narravi. Hoc audiens Gardianus dixit:
cito cito descendite, et quicunque vos ducere velit, sponte
cum eo ite. Me autem descendantem ocurrerit mihi quidam
Sarracenus, et casu dextra sua apprehendit dextram meam,
et velociter cucurrit, quia jam cuncti in asinis sedebant; eo
vero currente, cogebat et ego currere lateraliter et male,
quia, ut dixi, sua dextra fortiter tenebat meam dextram, et
ita currebat mecum, per lapides, ad quos ego ad latus cur-
rens, offendi aliquotiens, et cecidi. Tandem ad asinos suos
pervenit mecum et mihi bonum asinum parvum et ex toto
nigrum dedit, et multam amicitiam et benevolentiam mihi per
totam primam peregrinationem ostendit. Licet enim facie
crudelis videretur, ita quod in principio valde eum timerem,
tamen totus benignus erat, et miris obsequiis mihi ministrabat,
etiam antequam novit conditiones meas. Erat autem servus
cujusdam domini Sarraceni, quem ego non novi, qui dicebatur
Galela, et servus nominabatur Cassa, et quicunque servum
illum vocare voluit, ambobus nominibus eum vocavit Galela-
cassa. Et hoc (B) asinarius Cassa mihi dixit, quod quando

231

211

271

171

321

121

Ende

Anfang

